ORIGENES
12. Jh. Seite 30r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26152
Copyright: Admont, Benediktinerstift



odoratu tantumodo capta. currere se in odore un
guentorum sponsi commemorat. siue quod et ipsa cursu ad
huc indigeat et profectu. siue quod ipsa quidem perfecta sit.
Pro his autem adolescentulis que ad huc cursu et profectibus in
digent. et iam ipsa se currere fatetur. sic et ille qui cum sub
lege non esset. fit tamen sub lege. ut eos qui sub lege sunt lucri
faciat. et item cum in lege sit christi. his tamen qui sine lege sunt.
fit tamen et ipse sine. ut eos qui sine lege sunt saluet. Et lege
hoc fit ut diximus. solo ad huc odoratu eius accepto.
Quid putas agent. cum auditum earum et uisum et tactum gustumque
occupauerit uerbum dei. et singulis quibusque sensibus uirtutes
ex se competentes eorum naturae capacitatique prebuerit.
ita ut oculus si uidere potuerit gloriam eius. gloriam tamquam
unigeniti a patre. aliud uidere ultra iam nolit. neque
auditus aliud quam uerbum uitae et salutis audire. Sed et
cuius manus palpauerint de uite uerbo. nihil ultra ma
teriale. nihil fragile caducumque palpabit. neque gustus
cum gustauerit bonum dei uerbum carnemque eius et panem qui de
celo discendit. aliud quod per hec gustare patietur. Pre
dulcedine namque ipsius et suauitate. omnis reliquus
sapor ei asper uidebitur et amarus. et ideo hoc solo
uescitur. Omnem namque suauitatem quamcumque concupierit.
in hoc ueniet. ad omnia namque aptum se reddit. Et hoc
est denique his qui ex corruptibili semine generati